1719 die 8 Julii.

Poezya 2934.

Grzymała Alberti Antonii: Aedes laureati honoris virtuti et eruditioni VV. DD. XIII. secundae laureae Candidatorum – delineata.

ÆDES
LAVREATI HONORIS,
VIRTVTI & ERVDITIONI
VV. DD. XIII. Secundæ Laureæ Candidatorum,
GRATIA & FAVORE,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. STANISLAI
DE BEZDAN
HOSII,
DEI & SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIÂ,
EPISCOPI VTICENSIS,
SVFFRAGANEI & CVSTODIS PREMYSLIENSIS,
Sede Vacante EPISCOPATVS CRACOVIENSIS, & DVCATVS SEVER:
GENERALIS ADMINISTRATORIS,
TOTIVSQVE PERAVGVSTI CAPITVLI CRACOVIENSIS,
APERTA;
& dùm
Per PERILLVSTREM & REVERENDISSIMVM DOMINVM,
D. M. ANDREAM KRVPECKI,
I.V. Doctorem & Professorem, Ecclesiarum, Cathedralis Crac: Canonicum, Premykoviensis & in Niegardow Curatum, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratorem, Studij Almæ Vniversitatis Crac:
PROCANCELLARIVM,
In frequentissima Illustriss: Hospitum Corona,
Magisterij in AA. LL. & in Philosophia Doctoratûs Licentiam
RITV SOLENNI CONSEQVERENTVR,
In vim Fraterni affectûs & plausûs
ab
ALBERTO ANTONIO GRZYMAŁA,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Pòëticô calamô cum Votis
DELINEATA.
Annô, q. o CHRISTVS in Æde Virginalis Vteri consedit 1719. *Die 8va Iulij.*

CRACOVIÆ, Typis Successorum Hebanowski.

IN STEMMA
ILLVSTRISSIMI DOMINI.



LASZCZEVIUM vallant fortissima Saxa LEONEM;
Ast spernit rugiens, mænia, tecta, lares.
Prosilit è Muris ultrò, gaudetq; videri,
In campo, cùm sit, semper ad arma potens.
Splendentem gestat Circum, cur? monstrat, ut ungue
Æternùm Patriam protegit ille suam.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,

D. ALEXANDRO MICHAELI ŁASZCZ,

PALATINO BEŁZENSI, Iaslensi, Medicensi, Dimidoviensi CAPITANEO, Domino Mecænati & Protectori AMPLISSIMO.

ERuditam Laureati Honoris, Tuo Magno Nomini, dedicare ÆDEM, prima & maxima Palladi nostræ Jagellonicæ solennitas. Illustrissime & Excellentissime Domine. *Nunquam equidem Ædes* hæc, *majorem obtinere potuit titulum, nunquam solenniùs nacta est patrocinium, quàm dum Tè, suum sortitur Patronum Protectorem. Non caret illa pridem, sacratiori à suo* CANTIO, *qui & Regni Columen est, fundamine; nunc tamen longè solidiorem & firmiorem sese arbitratur; ubi supra firmam Gentilitiorum Murorum Tuorum*

)1(*adi-*

ædificatur & collocatur petram; fortissimo LA-SZCZEVIORVM *armatur* Leone. *Minus jam curat ut pulchrior appareat, scintillantia Altarium luminaria, minùs prætendit, ardentes Templorum faces, spernit, flammantes Vestalium Lychnos; ubi Domûs Tuæ Illustr: veneratur Ceras, ubi Tuum, eruditô sublimis sapientiæ oleô plenũ pro lãpade adorat Caput. Fastidit subtiles Zeuxis & Apellis penicillos, arcet, quamvis stupendas, Praxitelis statuas, odit ficticia Semideorum delubra; satis illi est, dum Prosapiæ Altissimæ, Avorum, Atavorumq; Tuorum appendit imagines, Cælô dignæ virtutis lineamenta depingit, Teq; gratiosissimum intra suos lares recolit Patronũ. Nimirùm eam* ŁASZCZEVIORUM *Domum adesse novit, quæ Patrum & Hæroum curia, honoris Templum, Jovis Æde splendentior Aula dici & proclamari meretur, quam, si quis scrutator ingreditur hospes, aut Cultor Tullius, admiratione sæculorum digna, & pervetusta titulorum observare potest magnalia. Illud illud* ŁA-SZCZEVIORUM *nomen; quod æternantes factis adimplet fastos, totumq; famà & glorià Sarmatiæ cumulat Orbem, ibiq; auditur; quò hebetatus Lunæ non attingit radius, quo Phæbum ire vetat remota longinquitas. Ille Cerarum Tuarum fulgor, qui soles & solia illustrare novit, tuncq;*

fermè

sermè arsisse visus, cum Troja suum experta incendium. Illa Gentilitiorum Murorum soliditas; quæ simul, cum Romuleis fundata mænibus, Rempubl: Regniq; molem plus quàm adamãtinis sustentat columnis, & Abæneum ex se Patriæ Murum porrigit. Cubile Leonis *Murum eundem dicere non satis est; utpote; cùm ab illius angulis, ejusmodi prodeunt Hæròés, qui Joves aut Numina vel Martis portare titulos digni creduntur. Ex simplicioribus coalescentem lateribus, si quis eundem esse præsumeret, inCælum peccaret, cùm non tàm lateres, quàm Hæroum latera fortissimus retineat, ex ipsis amplissimus crescit pectoribus, quæ pro salute Patriæ ponere & opponere proprium sibi probavit. Rubicundus quodsi conspicitur, bene est, cùm ad Eum, tumidus inimicorum fastus, & caput, & sangvinẽ, & ruborem deposuit, in ipso Acæphalo impetu, ad saxum hoc allisus carcerem perpetuæ servitutis sibi ex eodem construxit. Ipsæ Sagittariæ Maris Euxini Cochortes, furandi non feriendi capaciores, vel potiùs Tartarici manes, toties ad* ŁASZCZEVIORVM *Saxum Promethæi experti pænam & casum; quoties leves & impetuosi steterunt.* Leonis *deniq; Tui si inquirerẽtur ungves, certè ille apparebit, qui periclitantem è faucibus hostium, toties eripuit Patriam, qui quoties in*

Mar-

514

Martio campo contra hostes rugiebat, toties nemo non pavere visus, qui Fatorum minas, quod minimè nihilq; timeat, vel ipso Sphærico cifræ demōstrat Symbolô, cujus venustà capitis magnanimi jubà non postremum Sarmatiæ jubar augetur. Quanquam noscant alij ex pollice Gigantem, noscant ex ungve Leonem, Gentilitius ŁASZCZEVIORUM Leo, quis, qualis, qvantusve sit; ex Te solo optimè cognosci potest. Qui Nestor in trabea, ardens in Purpura Pericles, dulceq; decus Patriæ appellaris. ALEXANDRI magnum si retines Nomen, meritis gestisq; Tuis & Virtutem ex asse demonstras, adeo; ut si Te illo sæculo côævum haberet, Tuum agere Ephestionem non erubesceret, vel Te sibi parem pati & videre minimè indignaretur. Indolem Tuam inter multos Gymnasiorum tersam parietes prætereo, venerabundus Cultor, qualis fuerit, maturus operum & Sapientiæ Tuæ indicat fructus. Dicat ipsa Patria, qualem Te experitur Civem, dicat Sarmatica Aquila, quàm perspicacem mentis Tuæ observavit aciem. Nec tamen dicendū, cuiq; palam patet, quomodo Tu Illustrissime Domine, Patriæ fulcrum, Reipubl: Scipio, Legum Arbiter, felicitatis cōmunis pignus, ad stuporem Orbis operum magnorū expedire non cessas scænas, quomodo omniū fermè cogitationes in Tuo

geris

geris capite, quod oraculorum & Delphicorum sensuum Aram dicere, extra cerussam blandientis calami est. In purpurato Senatorum Ordine, si consulendum adest Patriæ, Tu in omni magnarum rerum circumstantia primum obser servaris mobile, ad quod raptantur universa, sine ulla vertigine capitis. Nihil Civibus svaviùs quàm à Tuo roseo ore Delphicos audire sensus, Platonico melle imbuta excipere verba, nihil jucundiùs quàm dictionum Tuarum, plus quàm Gallicanâ ligari catenâ. Non invidemus Romuleis Capitolijs Cicerones, Censorinos Vticæ Catones, cùm in Te uno omnes habeamus, admiremur. Cælestis Astreæ subsellium, Judiciarium Sarmaticæ Themidis Tribunal, cùm ejusdem primus Primasq; colebaris Aristides, nūquam meliùs fundatum extiterat, quàm Gentilitijs Tuis innixum mænibus, nunquam sacratiùs, quàm à Tua intaminatæ mentis conscientia, nunquam ejusdem acutior ensis, quàm dum Tui Ingenij & Sapientiæ polliebatur acumine. Cessit in coronamentum Tuæ virtutis, non tàm purpura, cùm hæc infra eandem sit, quàm purpureus ROSÆ flos Altissimæ MODRZEWSCIORUM Domûs, de qua Tu ELISABETHAM Sociâ vitæ dilectissimâ traxisti. Nec aliter certè decuerat nisi ut Gētilitijs ŁASZCZEVIORUM mænibus non Civica, aut

muralis, sed rosea cederet Corona: ut Patricij Leonis *circulo, tanta innecteretur* Rosa, *quæ Ecclesiam, Patriam, totamq́; Sarmatiam replet odore. Vtraq́; Vestrûm Nomina coronat, grande decus, Avitæ gloria purpuræ, nec erubescenda Sangvinis portio* IOSEPHUS *Filius Tuus amãtissimus, adeo; ut si Pater Æneas Latij, & Julus magnæ Conditor Albæ. Sed nolo exiliori calamô, immensam Domûs Tuæ Illustrissimæ metiri magnitudinem, cùm gestorum Tuorum radiô omnes ingeniorum extingvis conceptus, &* ALEXANDER *verus, Ædis hujus capi non potes Macædoniâ. Volabunt aliæ in Tuas laudes Oratorum pennæ, immortali Cedro inscriptos habebis post sæcula characteres. Ego dùm* Ædem Laureati Honoris *Tuo Nomini dedico, devotus ut ad Ædem decet, plantis gratiosis advolvor, necnon ut intra Gentilitij Muri ambitum, quàm maxima carcerem sedeat fortuna, quàm altissimi, qui Tuæ Virtuti debentur pateant honores; precari non cessabo*

ILLVSTRISSIMI. EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

Venerabundus Cultor & Servorum mininus

ALBERTUS ANTONIUS GRZYMAŁA,
Secundæ Laureæ Candidatus,
Author Operis.

B. JOANNI CANTIO,

REGNI POLONIÆ ET Almæ Academiæ Cracoviensis PRÆSENTISSIMO TVTELARI, S. Theologiæ Doctori & Professori,

Vt Ædibus honoris patrocinetur.

ODE VOTIVA.

HVc Stoæ Præses Venerande CANTI,
Flecte de Summo Superûm Lycæo
Aureas dextras, tribuendo fulcrum
Ædibus istis,
Visus est quondàm validô lacertô
Templa FRANCISCUS pia sustinere,
Fulcias Ædes redimiti honoris
Cracius Atlas.

Tu lapis primus Sapientis Aulæ
Diceris, fortis venias columna
Ac bases ponas solidas, & Ædis
Sis lapis hujus
Pingimus quamvis simulacra nostrûm,
Ast Tuis cedunt, faciemq; tantùm
Gemmeam poscunt, verecunda frontis
Lumina Sacræ.
Corruit Templô volitans hirundo,
Quam Crucis signô Superis ad Aras,
Vota reddendo, nitidus, piusq;
Tu superâsti.
Corruat nostrâ pariter sub Æde
Quodquod est fatum, rapidiq; longè
Impetus absint, & amæna nobis
Tempora currant.
Hîc adhuc vivens, rutilis ab astris
Siderum Gemmam, precibus MARIAM
Nonne traxisti? trahitoq; Templis,
Hanc quoq; nostris.
Mitte de Cælo radium serenum,
Vt tenebrosas procul hinc repellat,
De die noctes, medijq; Solis,
Lumina spargat.
Gratiæ nomen retines sonorum,
Denotas cantum, quoties ab ore
Fun-

Funderis CANTI, canito precamur
Munera nobis.
Roma nativos habeat Penates,
Fronte cum bina numerando Ianos
Et suos illis domibus repostôs
Approbet Actus.
Sufficit, quando PATRIARCHA Divus
Ædibus nostris, veniens ab alta
Sede, jucundîs oculîs favebit
Sat rutilabunt.
De manu cujus benedictiones
Mille sparguntur, remeant Paterno
De sinu semper bona multa, vasti
Fluminis instar.
Nos Tibi verò quoad astra CANTI,
In Polo Summo radiando stabunt,
Pectoris nostri patuli sacrata
Templa struemus.

Per-

Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

Iuris Vtriusq; Doctori & Professori, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Premykoviensis & in Niegardow CURATO, Contubernij Iurisperitorum PROVISORI, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCURATORI, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO.

Obligatissima Soteriam Musa præcinit appensa Epigraphe

Sæcula duc in Æde Honoris.

PIeridum columen, cujus Parnasia magno
Numine Templa sonant, Citharæ pulsator Apollo,
Carmine, qui præstat, nunc nunc descendat ab alto,
Ædibus in nostris, Craci fundamine fixis,
Augustas possessurus pro culmine sedes.
Et vos sublimes, Vestros jam linqvite colles,
Aonides Musæ, præsentia numina Vatum;
Pulchra Cohors Heliconis læti, turba Novenna;
Æmula sideribus, Parnasi culmina temnas.
Vos testor, Vates tanti non inscius actûs,
KRVPECKI mihi carmen erit, qui Gemma Virorum
Est Craci, dignus credi post funera Numen.
Ingeniô doctô Magnus, probitate profundus,
Dotibûs insignis tantis; ut cultior Illô,
Non possit dici, Parnasi præses Apollo.
Frons ejus Charites numerat, vultusq; decorâ
Majestate micat, Solem pupilla serenum
Accendit, pectus spirat Cælestia rerum,
Et caput altorum Secretorum est velut ipsa

Sedes,

Sedes, Vir donîs ex omni parte beatus,
Atq; Pater Patrum; meritus. Sed cur mihi lentis?
Ludis adhuc Cyrrhea modis? cur pollice chordas
Tam tenui pulsas? quæso duc murmura Cythræ
Fervidiùs, laurosq; gerens, nunc Ædibus istis
Insistas, mecum carmen modulare sub umbra.
Dic quos Iste Pater sub tectis Palladis Almæ,
Pertulit immensos actus? quot fronte serena,
Expressit Gemmas? sudans ad commoda gentis:
In Studijs cultis sessus nunquam usq; genarum
Ad tristes rugas, necnon frontem capularem.
Dic quæ Iura tulit Themidi, quas condidit Orbi
Leges, par ipsi Conso vel Iustiniano.
Pro verbis flores, sensus oracula pandens.
Dic quem centenis lingvîs deprædicat Almum,
Alma Parens, dic hunc, quo gaudet Gensq; togata,
Quemvè colit Patrem, Statorem Maximum, Atlantem.
Dic hunc, quem Procancellaria Iura fatentur.
Grande decus, pretiumq; sui, dic deniq; Musa:
Hic quoties Sceptris Præses, tum Rector in Ostro
Aureus eminuit quamvis per ferrea sæcla.
Tempore, quo, leges, ædes, tum Iura tacebant.
Quovè honor antiquis Musis non adfuit ullus
Quò rigidis armis, ac telis Martis acerbi
Cuncta premebantur Præses KRVPECCIVS altus,
Sceptra manu retinens, defendit quomodò Musas;
ANDREAS verus, Cruce, dic, quam fata fugabat.
Dic quàm resplendens in Summo Monte vavelli
Apparet, necnon quàm exornat trina Coronæ
Sidera, tam niveis annîs, quàm mente colendus
Aris Divorum, spargit quæ munera? dicat,
CANTIVS ipse Pius cujus jam tecta Sepulchri,
Ære suo texit, meditatur plura parando,
Spargere dona manu; si danti plura supersint.
Non tamen urgendum est, dicet, narrabit agetq;
CANTIVS ista canens, narrabunt Numina. Sed Tu
Vt Pater hic superet fatorum fulmina quæq;,
Et seniô niveus, vivat per candida sæcla,

Lau-

Laudibus illius non par, jam Musa precare:
522 Iam precor, atq; Polos observans, hic & ubiq; ;
Vota Cliens Patri, pro sertis ista precabor.

PERILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS.

DD. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. STANISLAO MARKIEWICZ,

Sacræ Theolog: Baccalaureo, Cursus Theologiæ Moralis Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI ad Cracoviam Canonico, Kurzeloviensis Scholastico, Sandecensis Cancellario, in Stradow Curato, Coloniæ Academicæ in Pinczow Provisori, ac interea Philosophicæ Facultatis

D E C A N O.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. FRANCISCO HIERONYMO PLUCINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, Ecclesiarum Cathedralis Kijoviensis CANONICO, Collegiatæ Cracov: S. ANNÆ ARCHIDIACONO, Parochialis in Łętkowice CURATO.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. MATHIÆ ZIĘTKIEWICZ

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori Vocato, Cursus Vladislaviani Professori, Contubernij Iagelloniani Seniori.

Cum Epigraphe:

Hæc Ædes Vobis fundamina debet.

AUgusta Summis Templa Quiritibus,
Reddant Honorem, Mænia Saxea
Amphiones Primos adorent;
Romulidas quoq; Conditores.
Jactent superbos Pergama Dardanos,
Arces & Urbes, marmore frigido
Insculpta per ferrum remonstrent
Nomina, tum Dominos struentes

Ædes

Ædes Honoris, quæ patet inclyta,
Laurus virentis materiê gravis,
Te Conditorem nunc fatetur,
Ternio Magne Virûm Togate.
Infirma Nostri, nec meritis potens
Virtus, quòd altum possideat locum,
Ædes apertas nunc Honoris,
Quod videt, est opus hoc favorum
Vestri; benigna ô Numina Cracij
Pindi, quòd amplâ fronde viret Caput,
Et quòd datur laurûs facultas;
Gratia vestra manet, fatemur.
Campos Minervæ passibûs arduis
Calcare visi, nos sumus, & vias
Nullas Honoris fermè adusq;
Attigimus sine luce vestra.
Fundatus at vix Lydius est lapis,
Per Vos probantes; quid valeat caput,
Quid ferre nolit, quid recuset;
En stetit illicò Templum Honoris.
MARKIEVI *in hoc Tu murice Purpura*
Splendes, ut astrum laudibûs Entheis
Major, Sophorum Tu Corona,
Es decus & Rosa Tulliorum.
MYSZKOVIANVS, *Te potiùs canat*
Pindus, loquantur Saxa Heliconia;
Non Musa Te dignè valebit
Elogijs mea prædicare.
Non tam fluentô prodijt humidus
Mons ille præstans; imbribûs ut Tuîs;
Quos fronte mittebas madendo,
Omne ferens pretium laboris.
Exinde tandem promeritum benè,
Patrum Senatus, pectoris ad sui
Arcana dulcis, Te vocavit,
Artibûs ingenuîs decorum.


Post

Post Craciæ Te constituit Scholæ,
Oris diserti flumine Tullium.
Jam Purpurâ texit lacertos,
Fronde sacrâ modò tempora ornat.
Splendes micando Tu alter in Ædibus
Istis, decorus Nomine ditior
FRANCISCE PLVCINSKI *refulges,*
Tot meritîs gravidus venustîs.
Utroq; præstans Orbe Poloniæ
Utrumq; magnis dotibus aureîs
Implendo sincerus Professor,
Fulmineâ resonando voce.
Id Rostra dicunt, quæ toties Pius
Orator imples, Cælitibus, DEO;
Laudes canens semper stupendas,
Laudibûs innumeris colendus.
Quosvis labores tollere quàm Tibi
Est dulce, campo Palladis in suæ,
Ad quod vocaris per Quirites,
Tullius & Sophus es Paratus.
Tandem venis Tu, tertius in meum,
Carmen modestum, ZIĘTKIEVIVS, *cui,*
Non Musa vilis verùm Apollo,
Ut canat elogium necesse.
Quis nam Tuorum non videt extimos
Actus peractos? Palladis in Schola?
Quos, pro bono communi agendo;
Es velut Æthna flagrans amoris.
Non est satis, quòd, jam Stoa splendeat
Per Te Sophorum; sed cupis intimè;
Vt splendeat per Te Themisq;
Iura sciens, faciensq; justus.
Nunc dum gerebat Patria nobilis,
Gentis Virorum Concilium grave,
Hic Vir Scholæ primæ Scholarum,
Nuntius osq; fuit fidele.

Verùm quoad jam Musa canes levi
Laudes sonoras pectine, justiùs
Vt jam tacendo pro Coronis,
Vota feras bona cuncta vovens.
Laudent Eosdem Numina, tum Chorus
Museus, Illos sidera sub Poli
Tollant favendo, Tu precando
Talia dicito Ternioni
Patrum Tuorum; quatenus asperam
Sortem malorum, vita quoad fluet.
Nunquam ferat, sed faustiora
Tempora connumeret per ævum.

ÆDES LAVREATI HONORIS, VIRTVTI & ERVDITIONI VV. DD. Secundæ Laureæ Candidatis APERTÆ.

V. D. IOANNI LASTROWICZ,




Stemma supra quod est *Caput bubulcum, Ascia inter cornua*
cum Lemmate: *Hoc ne temne*
Caput. Martialis.

MAgnæ dum struxit Capitolia Romulus Vrbi,
Effodit casu, grande ligone caput:
Sic Ædis nostræ, quisquis fundamina quæret,
LASTROVII volvet, protinùs ecce caput.
Cornibus intensè vigilat præclara bipennis
Istius capitis; nam pretiosa videt.
Sicq; caput posthac istud reserabit: ab ipso
Nascetur certè Pallas amica Dea.

II. V. D. ALBERTO STOSKI,


526



Stemma. In Luna Crux
& super Crucem Stella.
cum Lemmate: Sidera sunt
Testes. *Torpetius.*

Crux sacrata micat claro de Stemmate; neenon
Applaudunt illi, Cynthia, Stella simul.
Fortis quòd maneat STOSKI Crux comprobat ipsa;
Sublimem mentem, sidera tanta notant.
Vnâ clarus erat tantùm de face Cleantes;
Ad quam consedit nocte diuq; vigil:
Ast Tibi dum STOSKI præluceat lumina bina,
Clarior ardebis, crede Cleante Virô.

IV. V. D. ALBERTO IOSEPHO OKONIOWSKI, Leop:



Stemma. Gentilitium.
Stella Perca & *Lilium Gallicum:*
cum Lemmate:
Producunt Sidera Pisces. Manil:

Lilia, quæ profers OKONIOWSKI plena decoris,
Inclinant terras, sidera tumq; Tibi:
Fontibus immersus sinuosis arte laborans
Cæpisti prædam, quam modo Stemma refert
Hanc dum Stella micans illustrat credere fas est;
Quod maneat dignus, Piscis hic axe Poli.
Quisquis Stemma Tuum lustrabit ritè videbit,
Militat ut Tellus, unda Polusq; Tibi.

527


V. V. D. IOSEPHO KRZYZOWSKI, Leop:



Stemma *Avitum*: Stellæ duæ inter quas media est Sagitta, infra Sagittam Luna. *cum Lemmate:* Stant in honore Sagittæ. *Ovidius.*

Hostes qui domuit sinuatus Apollinis arcus
Stellis appensus sideribusq; fuit.
Dum Tua KRZYZOWSKI splendet super astra Sagitta,
Palladis in campo, magna Trophæa tulit.
Devicit Lunam, devicit sidera bina,
Et Solem credas vinciet ipsa Tibi.
Astrorum multi curabunt ultrò favores,
KRZYZOWSKI qvovis tempore Victor erit.

VI. V. D. ALBERTO GOSZKOWSKI,



Stemma: *Cor in campo albo, in quo Cor de tres Rosæ excrescunt.* cum Lemmate: *Cui non sua pignora cordi.* Stat:

SAt stupor altus erat, dùm Romæ Hortensius ille,
Ex rostris doctis, protulit ore Rosas:
Purpureos flores GOSZKOWSKI fundit ab ore,
Non satis est; iterùm fert quoq; corde Rosas:
Noxia corde fovent multi, etsi pulchra loqvuntur,
Illud GOSZKOVIUS corde, quod ore tenet.
Dumq; videt talem Pallas Te, fidus Achates,
Ejusdem fies, floridus atq; potens.

VII. V. D. ANTONIO GORCZYNSKI, Scholæ SS. CORPORIS CHRISTI Seniori.



Stemma Gentilitium:
Accipiter in Cruce stans.
cum Lemmate: Cælo militat
Ales. *Manilius.*

VMbriferâ volucres quærunt cum fronde, vireta
His ut securè, nidificare queant.
In Cruce quando Tui consedit clara volucris,
Fatorum nunqnam sorte premetur atra:
Percutiet toties velox hæc æthera pennis,
Pro prædâ rediens magna Trophæa feret.
Quam si turbabit fatis fortuna maligna,
Hanc Cruce terrebit, cuncta fugando mala.

VIII. V. D. ANDREÆ IOSEPHO CYBVLSKI,



Stemma Avitum.
Solea intra quam est Crux.
cum Lemmate:
Vestigia vicit. Manilius.

PRæfulget Soleâ victrici campus avitus,
Fulgenti præsens nobilis adstat avis
Horum Possessor CYBVLSKI quando manebis,
Ad quosvis titulos, jam modò primus eris.
Sivè erit in culmen currendum, sivè volandum,
Hâc Soleâ curres, hâcce volabis avi.
Augusto, volucris panes subtraxerat olim,
Sed Tibi successus crede quòd ista feret.

IX. V. D. BLASIO ZABITZ,

Stemma:  Solea infra uncibus
obversa, intra quam est Crux.
cum Epigraphe: Vestigia pulvis
habebat. *Ovidius.*

PAlladis in docta qui nunc versamur arena
Est animus dotis cernere signa Tuæ
Iam ratio solers genius, jam mentis acumen
Demonstrant, quàm sis dotibûs eximius
Sic dum procedes, ut nunc decurrere tentas
Nominis hâc tecum gloria & ibit honor.
Id SOLEÆ splendor, radians CRVX, id quoq; spondet
Vt quovis currens tramite, clarus eas.

X. V. D. STANISLAO ANTONIO MARKIEWICZ,




Stemma, *Duæ Rosæ & supra illas Stella seu Aurora.*
cum Lemmate: *Sparsaq; luminibus floret Rosa.*
Virgilius.

FAtidici Vatis pridem commenta loqvuntur,
Auroram pasci floribûs atq; Rosîs,
Sicq; suam pascit MARKIEWICZ flore rosarum,
Vt Musis & ei, semper amica micet:
Illa diem reddit rosei prænuntia Solis;
Ista Tuis meritis augur honoris erit.
Noctes fatorum propellet lumine claro,
Sub tanto signo florida cuncta feres.

XI. V. D. THOMÆ MVSZYNSKI,

530



Stemma: Solea, intra
& supra quam Crux.
cum *Lemmate*:
Primæ vestigia famæ. *Virgil:*

ROmulidum votis optabat prisca vetustas.
Quidquid calcarent, fiat ut hocce rosa.
Dum Soleam ponit Patriam MVSZINSCIVS, illâ
Victrices campis exprimit ecce Cruces.
Ergo si Solea istius, nunc talia profert?
Quæ poterit posthac mens animusq; Viri?
Parnassi Sonipes torrentes ungve cavavit:
Ad Soleam tantam, sisteret ille suam.

XII. V. D. MICHAELI CHVDZYNSKI,



Stemma. *Tres Lapides pre-*
tiosi hoc est Ada- mantes.
cum Lemmate:
Voces Adamante notabat. Claud:

CHVDZYNSKI campô præsentas tres adamantes;
Adde Tuam mentem, quid nisi quartus erit?
His quodsi Gemmas, jungas de fronte serena
Sudoris docti, credito mille forent.
Non ornarentur lauru Tua tempora docta:
Ex tantis Gemmis, pulchra Corona satis.
Tutus gesta geras, nam duro marmore posthac,
Omnia conscribet, lucidus iste lapis.

531

Stemma. Columba in Pi-
ramide stans ra- mum Olivæ ro-
strô tenet. *cum*
Lemmate: Pyramidûm sile-
at miracula Mē- phys. *Martial.*



HErculis indomiti demonstrant acta Columnæ,
Sed Tua REMBECKI Pyramis ista notat:
In cujus mitis consedit colle Columba,
Teq; bonum monstrat, tum sine felle Virum.
Præcinxit Pallas Te doctum fronde virenti,
Ad laurus addi, plura columba cupit.
Fert Oleæ ramum rostrô, sub frondibus istis,
Iam Tibi pax constans, atq; triumphus erit.

III. V.D. ALBERTO ANTONIO GRZYMAŁA,

AVTHORI OPERIS,

In pignus fraterni amoris & gratitudinis pro suscepto labore.

V. D. ALBERTVS STOSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

Primum sinceri affectûs præsentat documentum.

Stemma Gentilitium.
Tres Turres ru- bræ, in quarum
porta stat miles armatus cum eva-
ginato gladio. Cum Epigraphe.
Fama Viro Tur- res, Portasq;
tuenti. Sidonius Apollin:



532 PEctoribus victis, nostrum adstas turribus Heros
Gloria turrito stat bene vincta loco.
Talia vota Tibi, nos nunc decernimus omnes
Turribus effractis gloria carpat iter.
Non lateat quidquid dignum est in luce videri
Sic GRZYMAŁA feres spolia multa domum
Et labor & tantæ capient sua præmia Curæ
Dum tua fama probum figet in Orbe pedem
Improba ne timeas adversæ spicula sortis
Præsidium est rebus Vir vigil ense Tuis.

Eidem Authori Operis.

V.D. ALBERTVS IOSEPHVS OKONIOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

In vim mutuò reciproci affectûs & applausus Votum appēdit.

DIgnas qui nostris reserâsti laudibus Ædes
Ipse GRZYMAŁA mihi jam celebrande venis.
Nobile Stemma Tibi, Porta; hæc encomia pandit
Quæ meruit Virtus sat generosa Tui
Stare Virûm gladiô cinctum si cernere fas est
Indicium præbet Teq; manere Virum
Cracia quem toties Pallas spectavit Arenâ
Victoris lauru tempora nunc redimit.
Accessum vovet quodvis ad culmen honoris
Mucro triumphalis, cuncta sinistra premat.

Eidem Authori Operis.

V. D. ALBERTVS GOSZKOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

In vim fraterni affectûs Votum gratulatorium offert.

QVàm sint Palladij præcelsæ muneris Ædes
Turris trina Tui comprobat ipsa satis.
Eminet his genius, virtus & cura laboris;
Eminet & ternis Turribus omne decus,
Laurigeras nobis Ædes dum ALBERTE repandis
Es dignus Celsos quosq; tenere Lares
Turrigerâ hac Portâ, gestit gaudetq; videri
In decus Herois, Pallas & omnis honor.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.